



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 64. Fœdus Imperatoris cum Poloniæ Rege.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.
A.C 1412.

§. LXIV.

*Fœdus Imperatorem inter & Polonia
Regem.*

*Dlugoff. l. II
pag. 121.*

Hoc item anno Sigismundus Imperator in Poloniam iter ingressus, cum Ladislao Jagellone Polonorum Rege fœdus inibat. Hujus concordiae præcipuus articulus fuisse dicitur, quod ad excidium Equitum Teutonicorum vires suas iungere, & Prussiam inter se dividere velent; Verum ipsemet Sigismundus Ladislao, quem in reditu Cassoviam usque superioris Hungariæ urbem itineris comitem habuit, auctor exstitit, ut delecto hoc articulo præter fidem sibi datam, & juramenti religionem nil amplius requireret, caussatus, ejusmodi pacti indignitatem facile effecturam, ut ab Imperio, in quo aliunde firmum satis, necdum fixisset pedem, dejiceretur. Cæsar in eodem itinere equo delapsus tam gravi vulnere affectus est, ut de ejus vita actum esse crederetur, postmodum tamen recuperata sanitate iter suum profecutus est, & Ladislao præclaris muneribus aucto coronam, quam Otho III. Imperator Boleslao primo Poloniæ Regi dederat, restituit, unacum sceptro, pomo aureo, ense, atque innumeris ferme gemmis, aliisque hujus regni insignibus, quæ
Elisa-

Elisabetha Ludovici Poloniae & Hun- Sæcul. XV.
 gariæ Regis Mater in Hungariam trans- A. C. 1412.
 ferebat, verita, ne Poloni Filio ipsius ab-
 sente, ac interea in Hungaria commorante
 alium sibi Regem eligerent.

§. LXV.

Henrici IV. Angliæ Regis obitus.

Historici ad idem tempus Henrici IV
 Angliæ Regis mortem revocant,
 quamvis Mezerayus eandem ad diem vi-
 gesimam Martii anni sequentis remittat.
 Ex gemino, eoque specioso prætextu ad- Juv. Urs.
 versus hunc Regem Anno salutis mil- hist. Carol.
 lesimo quadringentesimo quinto atrox Vl. p. 249.
 conflata est seditio. Obtendebant alii
 infelicem Richardum, cujus supra memi- Polyd. l. 10.
 nimus, injuste ab Henrico Rege exaucto- in fine.
 ratum fuisse; Isti vero oppressionem Ec-
 clesiastici Ordinis, ac populi, suasque li-
 bertates ab ipso violatas prætexebant.
 Verum cædes Archiepiscopi Eboracensis,
 qui inter conjuratorum Principes non
 infimus erat, haud parum seditionis mo-
 tus repressit. Equidem Innocentius VII.
 tunc temporis Ecclesiæ gubernacula te-
 nens necis hujus auctores anathematis
 poena plectebat, hoc tamen Pontifice pau-
 lo post e vivis erepto Gregorius XII. ex-
 communicationem sustulit.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXV. Y §. LXVI.